

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Ambicio d
cum fonte primo

Hoc ipso perniciosior est ambicio
quod blanda est consiliatricula
dignitatum et sepe quos uicia nulla
delectant quos nulla potuit mouere
luxuria, nulla auaricia subruere facit
ambicio criminosos.

Habet enim forensem gratiam,
domesticum periculum et ut dominetur
aliis prius seruit. Curuatur obsequio
ut honore donetur, et dum uult esse
sublimior, fit remissior.

Ambrosius ibidem (super Lucam libro
III.).

Atque
hoc ipso perniciosior ambitio,
quod blanda quaedam est conciliatricula
dignitatum, et saepe quos uitia nulla
delectant, quos nulla potuit mouere
luxuria, nulla auaritia subruere facit
ambicio criminosos.

Habet enim forensem gratiam,
domesticum scelus et, ut dominetur
aliis, prius seruit. Curuatur obsequio,
ut honore donetur, et, dum uult esse
sublimior, fit remissior,

cum in ipsa potestate quod praecellit
alienum sit; legibus enim imperat, sibi
seruit.

Ambrosius Mediolanensis, *Expositio
euangelii secundum Lucam*, 4.31 (CCSL
14, M. Adriaen & P.A. Ballerini eds.,
p.117, ll.383-390).